

Heinrich Schuckmann Hermann Hofmann

## **Dissertatio Inauguralis Iuridica De Interesse**

Rostochii: Kilius, 1643

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731850580>**

Druck Freier  Zugang



Interesse

accessio

estimatio

Annahmehung

Abshätzung

H. Schuckmann (A. Hoffmann)

Kort

1c

R. U. im 1643.







DISSERTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA  
DE  
INTERESSE,

Quam

*Deo Opt. M. Clementer adjuvante*

Ex Decreto & Auctoritate Magnifici  
& Amplissimi Jctorum Ordinis in florentissi-  
mâ ad Varnum Academiâ

PRÆSIDE

*Amplissimo & Consultissimo Viro*

DN. HEINRICO Schuckman/Jcto  
excellentissimo, Professore Codicis Publico,  
ac p. t. Facultatis Juridicæ DECANO  
Spectatissimo.

*Pro summis in utroq; jure privilegijs & honorib.*

DOCTORALIB. consequendis

Publico examini subijcit

HERMANNUS HOFFMAN  
Culmbacho Francus.

*In Auditorio Majori die 20. Junij,  
Horis ante & pomeridianis.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academiæ Typographi.

ANNO Ære Christiane M. DC. X LIII.



DSSERTATIO IN AUCTORITATE

JURIDICA

DE

INTERESSE


QVI

Deo Opt. M. Clementer adjuvante

Ex Decreto & Auctoritate Praesidentis

& Amplissimi Collegii Ordinis Jurisconsultorum

in Universitate Rostochensi



DR. HEINRICH

excellens, Professoris Publici

in Facultate Juridica DECANO

speculando

Proferens in auro, hunc primum in

DOCTORALIS CORONAM

Publico examini subijcit

HERMANNUS ROSSMANN

Cambrachensis

Magistri in Jure


hunc auro coronatum

ROSTOCHII

MDCCCXXXIII

ANNO DOMINI





Quod DEUS T. O. M. felix  
faustumq; esse jubeat.

Dissertatio Inauguralis  
De  
INTERESSE.

THESIS I.

**T**otius Materix tractatio duobus potissimum membris comprehendi potest, sc. ut prius insinuet nobis ipsius interesse cognitionem: posterius ejusdem in judicio obtinendi modum. Ipsius vero Interesse cognitio absolvitur Definitione & Divisione, ut & causarum & effectus resolutione.

II.

Definitionem præcedit Etymologia, Homonymia & Synonymia.

III.

Quoad Etymologiam] *Id quod interest* dicitur quasi in re est per transp. literarum, *in re est* significat idem, quod in patrimonio est vel actu vel potentia. Nam & illud quod nobis ex facto abest, modò ad id habeamus actionem, dicitur in patrimonio existere *l. 15. ff. de Reg. J. l. 35. ff. de obl. & action.* unâ voce Interesse appellatur, quæ dictio licet nomen aliquod substantivum non sit, pro eo tamen usurpari potest, utpote loqui licet; hoc interesse,

A 2

illud



illud interesse, meum, tuum interesse. Quamvis hæc vox  
ita sumpta in jure civili non reperiatur. Eâ tamen u-  
sus est Accursius in *Gloss. ad l. 35. §. ult. in fin. ff. de contrab.  
empt. & Jus Canon. in c. un. X. de plus petit.*

IV.

*Homonymia.*] Vox Interesse sumitur vel populariter  
& vulgariter; Vel propriè & civiliter; In sensu popu-  
lari denotat idem quod expedire, utile esse, referre *l. 1. ff.  
Solut. Matrim. l. 65. §. 2. ff. ad SCrum Trebell.* item diver-  
sum & oppositum esse. *l. si bene 33. in fin. ff. de usur. l. Domum  
57. pr. ff. de contrab. empt. l. 21. §. fin. ff. quand. dies leg. ced.*

V.

In sensu civili iterum bifariam capitur vel absolute  
vel relate. In sensu absoluto regulariter denotat acces-  
sionem quandam à re ipsâ principali vel ejus æstima-  
tionem distinctam. *l. 2. §. fin. ff. de eo quod cer. loc. dar. oport.* In-  
sensu relate vicissim vel largius; vel strictius. Illo mo-  
do unâ cum damno etiam ipsius rei principalis æstima-  
tionem continet. *l. Titius 43. circ. fin. ff. de action. empt. l. Juli-  
anus 17. §. 1. ff. de R. V. l. 14. §. ult. ff. de furtis.* Strictius sumptum  
ad solam rei principalis æstimationem refertur. *l. 3. §. 1. ff.  
commod. l. 45. ff. de contr. empt.*

VI.

*Synonymia.*] Id quod interest dicitur & utilitas *l. 9. §.  
ult. ff. ad exhib. l. 81. §. fin. ff. de V. obl. l. 11. §. ult. ff. de action. empt.*  
& denotatur per illud lucrû emergens *l. 49. §. 6. ff. de legat. 1.*  
Item affectio *l. servus. 7. ff. de serv. export.* dicitur & pecunia  
*l. 72. pr. ff. de V. Oblig.* quanti ea res sit. *l. pen. in fin. ff. si quis cau-  
tionibus in Jud. sist. l. fin. ff. de stipulat. prator.* Item poena  
*l. fin. ff. de eo quod cert. loc. dar. oport. jaçtura l. si tutor. 17. ff. de  
auctor. tutor.* damnum ex re principali contingens. *l. 45. ff.  
de contrab. empt.* quæ tamen verba pro subjecta materia  
aliter atq; aliter capiuntur.

VII.



## VII.

[*Definitio.*] Pro diversa considerandi ratione duplex genus constitui & definiri potest: quod sit Accessio vel æstimatio rei ad nos pertinentis ob conventionem, moram, culpam vel factum Adversarii.

## VIII.

[*Verba Definitionis.*] Est accessio. Quâ voce generaliter sumptâ continetur omnis utilitas intercepta, sive ea sit principalis sive accessoria. *ut sumitur in rubr. ff. de usur. & sic Genus hoc accommodari potest modò absolute, modò relate & largiùs sumpto interesse.* (2) est æstimatio. licet enim æstimatio non sit ipsum interesse. *l. 21. §. ult. ff. ad leg. Aquiliam.* Sed ejus potius indicatura s. taxatio, quæ ut plurimum fieri assolet re perditâ. *l. 8. pr. ff. de condiçt. furt. vel facto secundum conventionem non præstito leg. 72. pr. ff. de V. obl.* Inde tamen non sequitur, quod interesse non sit æstimatio in sensu stricto, quo dictum in *th. 5.* Dum enim damnû vel interesse petitur vel restituitur æstimari dicitur *d. l. 72. pr. ff. de V. O.* idq; vel ratione agentis confusim. *arg. l. 32. pr. ff. de usur.* vel ratione adjudicantis determinatè. *§. 32. Inst. de acõionibus.* Ferè secundùm modum quem præscribit *l. faciendâ æstimatione 8. ff. arb. furt. casar.*

## IX.

Quomodo res ad nos pertinere possit ob conventionem docet latissimè imprimis tractatus contractuum & subindicabitur etiam infra *th. 49. & seqq. ob moram* autem petimus interesse, si V. C. creditoribus nobis determinato die debitum non fuerit exsolutum *l. 3. ff. de in litem jurand. ob culpam;* veluti si fortè à venditore res non tradatur, quo magis rei fuerit factum furtum. *l. 80. pr. ff. de furt. ob factum;* Si V. C. adversarius rei nostræ possessionem nobis quietam non reliquerit *l. pen §. fin. ff. uti possid.*



## X.

*Dirisio.*] Interesse ut accedat vel æstimetur potest contingere tripliciter. Vel factâ conventionem, vel non factâ, vel modò utroq;.

## XI.

Ex conventionem quando interesse petitur, dicitur vulgò *interesse conventum*. Quod fit quando de solvendâ certa summa loco ejus quod interest inter partes convenit. *l. fin. ff. de prator. stipulat.* quæ conventio nihil aliud est, quàm quædam pœna loco probationis appositâ. *§. fin. Inst. de V. oblig.*

## XII.

Per interesse competens absq; conventionem venit *interesse accidentale*, quod iterum est *vel quanti plurimi vel casuale s. momentaneum*.

## XIII.

*Illud quanti plurimi* in jure appellatur utilitas s. quod idem est interesse circa rem *l. si sterilis 21. §. 3. ff. de actionib. empt.* Dictio *circa* hic significat accessionem *arg. l. Rutilia 69. ff. de contr. empt.* quæ tamen ex re ipsa procedit: ut pote sunt partus ancillarum. Vel ei inhæret; velut fructus fundi pendentes: Quod interesse aliàs vocatur *intrinsecum*. *Id. ad l. 20. §. 3. ff. de petit. hereditatis.*

## XIV.

Dicitur *quanti plurimi* non quod nunc sit, sed quod à tempore moræ fuit *arg. l. 22 ff. de R. Cred. jam verò vel esse desuit. l. 50. pr. & l. 67. §. 2. ff. de furtis.* Vel etiam evuluit *l. inde Neracius 23. §. 3. ff. ad L. aquil.* Alioquin si res adesset, non diceretur *quanti plurimi*, sed verus & præsens valor.

## XV.

Definiri potest: quod sit æstimatio qualitatis, quæ semel rei accessit & ejus pars fuit, orta ex morâ s. facto Adversarij.

## XVI.



## XVI.

*Hoc casuale, cujus exemplum aliquod habemus in l. 2. ff. de evictionibus. rursus est vel æstimabile. Vel nec æstimabile. Illud est quod venit in considerationem. Hoc non item. De quo infra. th. 21. & seq.*

## XVII.

*Dicitur extrinsecum, quia extra naturam rei principalis existit. arg. l. 24. §. 3. ff. de damno. infecto. & momentaneum ob id, quod simul eodem tempore totum committatur, non quidem, quod contingat uno temporis puncto Mathematico, sed observatâ certâ aliqua cupidine s. temperamento temporis l. antiqui. 3. ibi Gloss. super Verba: eodem tempore enixa. ff. si pars. heredit. per. junctâ l. 15. ff. de statu. hom.*

## XVIII.

Definiri potest breviter secundum Accursium, quod sit *damnum emergens & lucrum cessans. Ein angehender Schad und auffhörender Nutz.* Plenior aliâs Definitio hæc est, quod sit in omnibus contractuum casibus tam certis quàm incertis ob moram, culpam s. factum adversarij, damni emergentis vel lucri cessantis civilis & legitima accessio vel etiam congruè facta æstimatio.

## XIX.

Per *damnum in concreto* intelligitur, id quod ego propter culpam alterius amisi & præstiti. V. C. si *feruum occidisti, quem ego sub certâ poenâ tradendum, promisi. l. 22. pr. ff. ad L. Aquil.* Hæc poena, quam præsto, est *damnum emergens* potestq; actione. L. Aquil. repeti d. l. 22. Aliud exemplum *vid. in l. 3. ff. de in litem jurando.*

## XX.

*Lucrum cessans* est utilitas intercepta s. defectus ejus, quod quis certò habere potuit, & quidem ex eo solo, quod



quod præstandum erat. *Habetur exemplum talis lucri in L.  
si quis uxori s 2. §. 28. ff. de furtis.*

XXI.

Debet autem esse reale: & in hoc differt ab eo, quod dicitur lucrum spei dependens sc. ex fortunæ tantum infidiis. *arg. §. 4. Instit. de V. Obligat. vel verisimilib. conjecturis l. 2. §. fin. ff. de eo quod certo. loc. dar. oport.* quod non semper venit in considerationem.

XXII.

Sicuti nec illa utilitatis species attenditur unquam: Veluti si quis (1) potuit lucrum habere ex re quapiam, non tamen necessario, sed ita ut etiam potuerit non habere, de quo est textus in *l. quemadmodum 29. §. 3. ff. ad L. Aquil.* (2) si lucrum certo quidem habere potuit sed non ex eâ re solâ, verum æquè ex aliâ *l. 21. §. 3. ff. de action. empr.*

XXIII.

Hoc interesse iterum recipit divisionem. Est enim vel singulare vel commune.

XXIV.

Singulare quando rei utilitas non attento communi valore s. quanti revera est, sed ex affectione privatâ, quam actor erga rem habet, æstimatur.

XXV.

Hoc iterum duplex est: vel affectionis tantum; vel utilitatis & affectionis simul.

XXVI.

Illud ex speciali affectu non auget condemnationem, sed in eo res, quanti omnibus valet, spectatur. *Propositur exemplum in l. 35. ff. de minorib. junctâ l. 30. ff. de bon. libere.*

XXVII.

Hoc ceu æstimabile, commodo pecuniario auget, condemnationem, si fuerit juratum in litem, *arg. l. 1. & l. 4. pr. ff. de in lit. jurand.*

XVIII.



## XXVIII.

Dicitur vicissim vel verè vel præsumptivè; Verè si V.C. agatur de restitutione corporis Juris, in quo multos apostillos s. remissiones conscripserit Actor. *Præsumptivè*: Sicubi res aliqua propter calumniam vel dolum rei juramento in litem æstimatur. *l. 64. pr. ff. de judiciis l. 8. & pen. ff. d. in lit. jur.*

## XXIX.

Commune dicitur, quod æstimatur communi valore. *l. pretia rerum 63. pr. ff. ad L. Falc. l. 33. ff. Ad l. Aquil.*

## XXX.

Modo utroque interesse obveniens quod attinet, possumus illud appellare usurarium *juxta l. 6. in fin. ff. de negot. gest.* quod vulgò usuram leges vocant. *l. ff. & C. d. usur.* & interusurium dicitur. *in l. 82. pr. ff. de legat. 2.*

## XXXI.

Obvenit modo utroque h.c. tam ex conventionem quam circa eam; utpote ex morâ.

## XXXII.

Definitur; quod sit accessio ad sortem s. quantitatem debitam ob hujus usum creditori à debitore præstanda.

## XXXIII.

Estq; duarum specierum: altera generis nomen retinet & usura dicitur in specie secundum consuetum aliàs in jure nostro loquendi modum. *arg. S. 1. Inst. de Adopt. & S. 1. Inst. de gradibus junctâ l. ult. S. 2. ff. eod.* altera fœnus appellatur.

## XXXIV.

Usura in specie sic dicta, est accessio ad sortem s. quantitatem ex quacunque causa debitam, ob moram non solventis ex conventionem vel officio judicis præstanda.

## XXXV.

Fœnus est accessio quantitatis mutuè datæ, à tempore contractus ex conventionem in lucrum creditoris præstanda.

B

## XXXVI.



## XXXVI.

Estq; vel nauticum vel terrestre. Nauticum quod & maritimum dicitur *in l. 6. ff. de naut. fœnor.* vicissim est vel proprium vel improprium. Illud est mutuae pecuniae quae trans mare vehitur periculo creditoris *l. 1. ff. de naut. fœn.* Hoc verò pecuniae mutuae citra tamen navigationem periculo creditoris *arg. l. periculi premium 5. ff. d. t.* itaque ex conventionem idem est ac illud *l. 2. C. de naut. fœn.*

## XXXVII.

Fœnus terrestre est, quando non creditur pecunia navigaturo sed aliis. De his autem usuris in genere notandum est, eas nullo modo hic intelligi *mordentes* vel dilectionem proximi offendentes *sed nec mordentes*, ac proinde illas prohibitas, hasce verò cum jure naturali, & divino, tum privato sc. civili & canonico, quin & publico licitas esse defenderim. XXXVIII.

Hic loci commodè posset indicari, quomodo differant interesse casuale, usura & poena conventionalis, atque etiam quomodo concurrant. Sed ne Disputatio excurret præscriptum modum, in discursu quærenti hoc exponam.

## XXXIX.

Absolutâ cognitione ejus quod interest generaliori: sequitur nunc causarum explicatio.

## XL.

Efficiens est duplex remota & propinqua. Remota est quoad interesse conventum, conventio. Quoad ininteresse quam plurimi & casuale, mora, culpa vel factum Adversarii: demùm tam conventionem quam morâ constat interesse usurarium.

## XLI.

Conventio illa est vel pactum vel stipulatio.

## XLII.

Ex pacto usurae debeatur in bon. fid. iudiciis, tam

*dire*



directis quam contrariis. Si illud ab initio vel in ingresso negotii adjectum contractibus *l. 24. ff. de positi l. 5. C. de pact. inter empt. & vendit.* vel in continenti iisdem subsecutum fuerit *l. 7. §. quin imò 5. ff. de pactis.*

#### XLIII.

Si verò ex intervallo, tum ad usuras petendas aliter non prodest, nisi ad exceptionem *d. l. 7. §. 5.* & sicubi mora intervenerit *l. 17. §. 4. ff. de usur.*

#### XLIV.

Secus est in contractu mutui. In hoc enim sine stipulatione etiam ex pacto in continenti adjecto non debentur *vid. textum in l. Titius 24. ib. pecunia quidem credita ff. de prescr. verb. & l. 3. C. d. usuris* quod hodiernâ tamen consuetudine vix attenditur.

#### XLV.

Aliud de jure civili in frumento, tritico, hordeo, vino oleo & similibus mensurâ constantibus obtinet. ubi etiam ex nudo pacto usuræ debentur. *l. frumenti 12. C. de usuris.* quod etiam procedit, si civitas pecuniam crediderit *l. 30. ff. de usur.* aut argentum *Novell. 136. c. 4.* vel pecunia sit trajectitia *l. 7. ff. de naut. faenor.* modò certus definiatur modus usurarum, qui legitimam quantitatem non excedat. *l. 31. & 41. §. fin. ff. de usur.*

#### XLVI.

Si tamen stipulatio intervenerit tam stricti juris quam bon. fid. contract. debebuntur. *l. 1. C. de usur. d. l. 24. ff. de prescr. v.*

#### XLVII.

Ex mora debentur tantum in judiciis bonæ fidei *l. 32. §. 2. ff. de usur.* non in contractibus stricti juris. *l. 3. C. de usur.* in tantum, ut ne quidem ex tempore litis contestatæ præstandæ sint. Quia hoc nusquam in jure cautum, proinde



de nec affirmandum est. Fingere enim casus non licet, qui non reperiuntur. *l. illam 10. C. de collation.*

XLVIII.

Propinqua Efficiens est Interceptio utilitatis s. ut supra dictum est, damnum emergens & lucrum cessans. Idque vicissim statui potest vel verum vel præsumptum. Illud spectatur in Interesse convento casuali & quàm plurimi. Hoc in interesse usurario.

XLIX.

Materia s. Subjectum interesse in genere sunt obligationes. In specie verò casualis interesse sunt contractuum casus tam certi quàm incerti *l. un. C. de sent. qua pro eo quod interest. prof.*

L.

Certi casus sunt, qui habent certam quantitatem vel naturam. Incerti qui hujusmodi requisitis destituuntur.

L.I.

Per certam autem quantitatem putamus indigitari rem in certo h. e. determinato pondere, numero & mensurâ constantem. Per naturam verò certam, rem certis finibus suis & quasi cancellis ita determinatam, ut civiliter saltem aliquod totum integrum vel simplex constituat, certam eamq; à iudice duplicandam æstimationem recipiens.

L.II.

Erunt igitur casus contractuum certi nihil aliud, quàm contingentia quædam circa contractus ex certo & determinato pondere, numero, mensura, aliisq; certis finibus, cancellis & circumstantiis ita qualificata & affecta, ut aliquod totum integrum vel simplex constituent. *vid. textum in l. stipulationum 74. pr. ff. de V. obl.*

L.III.

Ad hoc, ut certus sit casus, non requiritur ut statim ab initio rem certam contineat; sed sufficit si tùm, cùm præstatur, certa appareat, ceu fit cum equus sit.

*pro.*



promissus in genere, vel sub disjunctione Maius aut fundus.

Quamvis enim antequam quid præstetur, obligatio incertum contineat. *l. 75. §. 4 ff. de V. O.* Attamen cum res iam præstatur, certa est, & quæcunq; erit illa ipsa promissa videtur. *l. cum incertus 13. ff. de legat. 1.* si quidem amplius ignorari non poterit quæ sit, vel qualis & quanta. *l. certum 6. ff. de R. Cred.*

#### LIV.

Atque ita in omnibus illis contractibus contingere potest, in quos alias regulariter res certa deduci solet, ut aliquando incertum petatur. Veluti in casu emptionis contractæ super aleam, si fortasse piscator rete jactare noluerit. *l. si jactum 12. ff. de action. empr. l. 7. & 11. ff. de hereditat. vel actione vendit.*

#### LV.

Hactenus de casibus certis, nunc sequitur ut dicamus quot modis fiat, quod minus interesse casus certam quantitatem vel naturam habeant, & notandum id contingere tripliciter: 1. quando negotium rem incertam continet, sive factum indeterminatum, ceu fit in obligatione mandati *l. 8. §. 6. ff. mandati. tutelæ l. 7. C. arbitrium tutela. negotiorum gestorum vid. l. 19. §. pen. l. 31. §. 3. ff. de negot. gest. & regulariter in quavis obligatione faciendi vel non faciendi, l. 75. §. 7. ff. de V. O.*

#### LVI.

2. Quando negotium principale rem quidem certam continet, sed præterea aliud etiam incertum objectum principaliter in obligatione adjunctum habet. *vid. exemplum in l. 22. §. 1. ff. Ad. leg. Aquil.*

#### LVII.

3. Quando res plurimum habet facti, ut contingit in possessionis causa. *l. 19. ff. ex quib. caus. maj. in integ. restit.*

#### LVIII.

Forma interesse præter usurarium est, ut in incerto consistat, adeoque totum à probationibus & circumstanti-



is dependeat. Hinc dicitur in facto non in jure consistere in *l. 24. ff. de R. J.* LIX

Finis in eo consistit, ut utilitas, quæ nobis facto vel morâ Adversarii abest, reparetur, nosq; indemnes servemur & damna refarciantur, *arg. l. 13 ff. rem rat. hab. c. pervenit 2. X. de fidejussor.* Nam eadem debet esse conditio Actoris, quæ futura fuisset, si quid factum vel non factum fuisset *l. semper 15. §. 7. ff. quod vi aut clam.*

LX.

Effectus est obligatio. Unde agere licet adversus eum ejus morâ culpâ vel facto damnum datum aut lucrum interceptum est, ad illud recuperandum.

LXI.

Absolutâ ejus quod interest cognitione, membro priori: sequitur nunc ejusdem in judicio consequendi modus s. ratio. membrum posterius.

LXII.

Conspicitur illud verò in petitione s. actione instituendâ: vel legitima probatione: vel denique congruâ adjudicatione.

LXIII.

Petitionem interesse quod attinet, distinguendum puto. Aut interesse succedit in locum principalis obligationis, tanquam ejus æstimatio, utpote quando res vel factum amplius præstari nequit. *l. 72. pr. ff. de V. Obl. & tunc venit jure actionis.* Aut non succedit sed accedit rei principali ut in *l. 114. ff. eod.* tunc venit officio judicis prout in actionibus arbitrariis conspici licet ex text. *l. 2. §. fin. l. 8. ff. de eo quod cert. loc.*

LXIV.

Est autem actio, qua petimus interesse, non alia quàm conditio incerti *l. fin. ff. si quis in jus vocat? non ierit. l. 3. in fin. C. de inutilibus stipulat.*

LXV.

Interesse tamen usurarium, quod vel ex morâ vel pa-

50



Et incontinenti b. f. contractibus adjecto debetur, eadem actione quâ fors peti potest *l. in bona fidei 13. C. de usur. l. 3. & 4. C. depositi.* LXVI.

Quod si in sortem tantum condemnatus sit reus, ulterius usuræ peti non possunt. Quia creditor exceptione rei judicatæ repellitur. Una enim est actio ad sortem & usuras. Sententia igitur absolutoria lata in una parit exceptionem rei judicatæ in altera *d. l. 13. C. de usur. & l. 4. C. depositi.* LXVII.

Quoad probationem, quibus modis ea fiat in singulis interesse speciebus è Dd. Practicis petendum erit, quâ de re inter alios G. Durandum in aureo suo repertor. *lib. 2. p. 3. n. 18.* consulere poteris.

LXVIII.

Denique interesse legitimè probatum sequitur ejusdem per judicis sententiam congrua æstimatio s. adjudicatio, quæ ex constitutione Justiniani *in d. l. un. C. de sent. quæ pro eo quod interest proferuntur.* ira comparata esse debet, ne in casib. certis adjudicetur ultra duplum (in quo & simplum continetur) In incertis verò ultra & quidem in id quod reverà interest *d. l. un.*

LXIX.

Simplum autem illud, cujus dupli quantitatem non excedere licet, est ipsa res principaliter debita certæ naturæ vel quantitatis, cui accedit extrinsecus obligatio ad interesse. Idque obtinet, si res fuerit revera vel pluris vel minoris, *l. 43. in fin. junctâ leg. seq. ff. de action. empt.* semper enim habetur respectus ad precium conventum & solutum, non ad rem. *l. Titia. 62. in fin. ff. de jure dotium. l. 53. pr. ff. de evictionibus.* neque hic attenditur mutatio si augmentatio sequens *l. Rutilia 69. ff. de contr. empte.*

LXX.



## LXX.

Quod si à partibus non sit æstimata res principalis, tunc in casibus certis fieri æstimationem communem cenfeo. *per text. in l. 33. pr. ff. ad L. Aquil. & l. 63. ff. ad L. Falcid.*

## LXXI.

Sed quid si læsio facta sit ultra dimidium iusti pretii? idem dicendum verius iudicaverim, per rationem: ne melioris sit conditionis decipiens quam deceptus *l. 12. §. 1. ff. de furtis c. legi Epist. 36. c. 16. q. 1.*

## LXXII.

Eodem modo duplum censeri debet, ut siue simul & semel siue etiam pluries ad interesse agitur, adjudicatio ejus ultra fieri non possit. Ita tamen ut si actum sit ab initio statim ad eorum interesse probatum, simpli parte tantum deficiente V. C. per evictionem ablatâ, illud totum præstetur, quo casu taxationem ad partem pro ratâ partis deficientis fieri debere nego. Semel autem exfoluto interesse, quod simplum non excurrit, reus non amplius tenebitur ad interesse causam respondere.

Ne spacium pagellæ relinqueretur, Coronidis loco adjicere volui tres quæstiones:

I. *Utrum Constitutio d. l. un. de duplo non excedendo etiam ad pœnas conventionales pertineat? Negativa subscribere malo.*

II. *Ad quodnam casuum genus delicta pertineant? Ad incertos commodius referenda defenderem.*

III. *Utrum Interesse alterius in interesse detur? Resp. fieri posse, ut probatum ac in sortem redactum novam possit parere exactionem interesse,*

☉(o)☉











promissus in genere, vel sub disjuncto  
fundus. Quamvis enim antequam  
obligatio incertum contineat. *l. 75. §. 1.*  
men cum res jam præstatur, certa est  
la ipsa promissa videtur. *l. cum incertum*  
quidem amplius ignorari non poterit  
& quanta *l. certum 6. ff. de R. Cred.*

#### LIV.

Atque ita in omnibus illis contractibus  
test, in quos alias regulariter res certæ  
liquando incertum petatur. Veluti in  
tractæ super aleam, si fortasse piscator  
*l. si jactum 12. ff. de action. empt. l. 7. & 1.*  
*actione vendit.*

#### LV.

Haecenus de casibus certis, nunc  
quot modis fiat, quod minus interesse  
titatem vel naturam habeant, & non  
re tripliciter: 1. quando negotium  
tinet, sive factum indeterminatum.  
one mandati *l. 8. §. 6. ff. mandati. tut.*  
*tutele. negotiorum gestorum vid. l. 1.*  
*de negot. gest. & regulariter in quavis*  
vel non faciendi, *l. 75. §. 7. ff. d. v. o.*

2. Quando negotium principale  
continet, sed præterea aliud etiam  
principaliter in obligatione adjunctum  
*plurim in l. 22. §. 1. ff. Ad. leg. Aquil.*

#### LVI.

3. Quando res plurimum habet factæ  
possessionis causa. *l. 19. ff. ex quib. cau.*

#### LVIII.

Forma interesse præter usurarium  
consistat, adeoque totum à probatione

B 3

vius aut  
æstetur,  
Atta-  
q; erit il-  
at. 1. si-  
el qualis

gere po-  
let, ut a-  
nis con-  
noluerit  
dicar. vel

dicamus  
m quan-  
ontinge-  
n conti-  
obligati-  
erbitrium

1. §. 3. ff.  
faciendi  
a certam  
bjeetum  
vid. exem-

tingit in  
g. restit.

incerto  
instanti-

